Quelle:
Copyright:

detraxisse convincuntur; Oeffelii autem Sententia, annum quidem 1146. assignantis, sed levi solius Aventini authoritate nixi, ab ipso Authographo firmatur.

Genuinus itaque Hermanni labor hisce orditur: "His temporibus Rogerius Siculus Apuliam rursus ingressus" et finitur ad 1279 his verbis: "Eodem anno feria V post "Misericordias Domini Cathedralis ecclesia Ratisbonae "cum palatio episcopali et optimis campanis incendio "totaliter est consumta".

His in Ms. nostro immediate subjungitur alterum testimonium, Henrici videlicet Steronis, non minus notatu dignum; quove seductus Freherus Hermanni laborem Steroni attribuit; hujus tenor est:

"Eodem ad (: 1279 :) in festo S. Gregorii Dominus "Hermannus venerabilis Abbas Altahensis - - - - "Mitram et baculum cum omni cura pastorali coram "positis fratribus - - resignavit. - - - Predictus autem Dominus Hermannus post cessionem ipsius Abbatiae "supervixit duobus annis detentus maximis infirmitatibus "- - - Obiit bono fine pridie Kal. Augusti ad vitae "suae 78. Ego Heinricus Stero capelanus suus hoc addidi "videns in eo timorem Domini, et sapientiam magnam "esse, et super omnia ipsum habere misericordiam "circa omnes homines, et alias virtutes multas, "ad testimonium sibi perhibeo, et scio, quia verum "est testimonium meum".

Hoc testimonio docemur: 1. Hermanni annales ad annum 1279. pertingere; 2. Laborem Henrici Steronis non ab ad 1152., uti Freherus, Canisius et Pagnagius, neque ab ad 1262., uti Struvius putabat, exordium sumere. 3. Hermannum Abb. diem supremum obiisse non ad 1279, sed triennio post; quo hallucinati sunt Pruschius et Lambecius.

Profatum testimonium immediate excipiunt hoc: "Anno Domini M. CC. LXXIII. Mortuo Richardo "Romanorum Rege" etc. quibus et sequentibus annales perducuntur ad annum M. CCC. usque. Sed quis horum Auctor? Ut nihil jam dubii superesset, codex noster etiam tertium adfert testimonium omni auceptione dignissimum. In fine Bullae Bonifacii VIII Papae, in favorem F. F. Predicatorum et Minorum datae, post ultima ejusdem verba: "volumus etiam districta ratio in extremi judicii" hoc protinus subsequuntur:

"Hucusque perducta est pars Chronica a Heinrico